

Div. II. 5 — 8. Est quidam Graecus vulgaris in hanc sententiam versus:

„Bene qui conjiciet, vatem hunc perhibebo optimum.“

Num igitur, aut quae tempestas impendat, vates melius conjiciet, quam gubernator; aut morbi naturam acutius, quam medicus; aut belli administrationem prudentius, quam imperator, conjectura assequetur? Sed animadverti, Quinte, te caute et ab iis conjecturis, quae haberent artem atque prudentiam, et ab iis rebus, quae sensibus arte vacuis perciperentur, abducere divinationem, eamque ita definire: Divinationem esse earum rerum praedictionem et praesensionem, quae essent fortuitae. Primum eodem revolveris. Nam et medici, et gubernatoris et imperatoris praesensio est rerum fortuitarum. Num igitur aut haruspex, aut augur, aut vates quis, aut somnians melius conjecerit, aut e morbo evasurum aegrotum, aut e periculo navem, aut ex insidiis exercitum; quam medicus, quam gubernator, quam imperator? Atqui ne illa quidem divinantis esse dicebas: ventos, aut imbres impendentes quibusdam praesentire signis (in quo nostra quaedam Aratea memoriter a te pronunciata sunt), etsi haec ipsa fortuita sunt; plerumque enim, non semper eveniunt. Quae est igitur, aut ubi versatur fortuitarum rerum praesensio, quam divinationem vocas? quae enim praesentiri aut arte, aut ratione, aut usu, aut conjectura possunt, ea non divinis tribuenda putas, sed peritis. Ita relinquitur, ut ea fortuita divinari possint, quae nulla nec arte, nec sapientia provideri possunt: ut, si quis M. Marcellum illum, qui ter consul fuit, multis annis ante dixisset, naufragio esse periturum; divinasset profecto: nulla enim arte alia id, nec sapientia scire potuisset. Talium ergo rerum, quae in fortuna positae sunt, praesensio, divinatio est.

Potestne igitur earum rerum, quae nihil habent rationis, quare futurae sint, ulla esse praesensio? Quid est enim aliud fors, quid fortuna, quid casus, quid eventus, nisi quum sic